



(fol. 12)

D. O. M. F. F.

# TEMPLORUM

CURIENSIMUM,

NOVA IN URBE RESIDUORUM, PRIMARIUM,

D. **M**ichaēli

*inscriptum;*  
eiusq[ue] conditi, & per diversa tempora in majorem Amplitudi-  
nem adducti,

HISTORIA,  
ACTUI ORATORIO ENCOMIASTICO,

Per modum Consultationis instituto,

IN ILLUSTRI CURIANO, VI. Oratiunculis

ad D. XXI. Nov. cl<sup>o</sup> Is<sup>c</sup> LXXXIX.

à Sacris Matutinis habendo,

invitandi

Urbis Proceres

causa p[re]missa

M.JO. CHRISTOPHORO LAYRIZ,

Gymn. Patrii Redore.

---

Literis Minzelianis.

---




**X** Veteri nunc Urbe CURIA in Novam nos recipimus, parique dexteritate, quia Templum istius residuum, B. LAURENTIO dedicatum, lustravimus, in hujus quoque sacras, per gratiam Divini Numinis superstites Aedes, illarumque Historiam inquirimus. **MICHAELIS** hic Templum, Parochiale nunc & totius Urbis primarium, primam nostram sibi vendicat operam, quam tamen, quoad ejus fieri potestur, in pauca contrahemus. Patronam, nomine refert suo **MICHAELI**, quod quamquam à primis Fundatoribus, Papisticae Superstitioni immersis, Angelo tutelari creato tributum, ex vanâ istorum temporum Αγγελολαλειᾳ facile largiamur, seqviori tamen ævo ab impuritate isthac liberatum, & non alii, nisi increato Archangelo Michaëli, Salvatori nostro JESU CHRISTO, adjudicatum invenimus. Videnta hujus victoria, à Dracone Infernali deportata, ipsis Templi frontispiciis, media inter utrasque Turres, sub Ambone, illas connectente, in concamerato pariete depicta, literis etiam, quamquam temporum tempestatumque injuria multum exesis, inscriptionem prudentibus : **MICHAEL ARCHANGELUS.** Ætas Templicum ipsius novæ urbis primordiis coincidit, & quod supra p. 9. reculimus, in A. C. 1230 communiter consicitur, quô noviter condendæ Urbis, sub OTTONE M. Meranie Duce, ejusque Filio, OTTONE IL (habes primos Fundatores,) auspicia data ; Nam cùm Veteris Novaque Urbis Curiae incolæ tunc temporis diversis ab invicem civilibus secererentur ædificiis, diversas etiam quæsivisse Parochias, sit probabile ; licet Veteris Urbis Parochiali Templo, per bina & dimidium adhuc Secula, Matris prærogativa ritè deferretur. Faciem autem & Figuram ejus quod attinet primævam, tantò utriusque nitore, quô hodie inter multa caput effert alia, se commendavit minimè, vixque minoris cujusdam Ædiculæ meruit nomen. Locus, è quo excitatum fuit hoc templum, ille ipse quidem est, quem hodiernum obsidet, angulus nempe Urbis Orientalis.

or, petræ inhixus, multum tamen minoris capacitatè conclusit aream istam scilicet, quæ introitum nunc ejus & anteriores capie partes. Cinxere utraque latera ejus civium domus, ut non nisi per angustum viculum aditus ad illud pateret, dictum das Michaelis-Gäßlein/ quod nomen identidem servat via ista, quæ ad D. Michaelem, per posticum Urbe elabimur, si Classicorum æmulatione magis istud urbis, seu portula minor, das Michaelis-Pfortlein oder Thürlein/ hoc nomine appellari fas sit.

Hæc prima Templi incunabula, quæ, quamquam Seculò isto ullis proiecta incrementis haut legantur, invidentis tamen fortunæ non evitare tela, in Vulcani officina fabricata, quibus potenter adeò sacra hæc concusa ædes, ut Æneæ ore dimissâ, in ardorem communibus Trojæ flammis Deiphobi domum, querelâ:

- - - - dedit ampla ruinam,

Vulcano superante, domus;

nostræ quoque huic exequias ire, cui lubitum fuit, potuerit.

Annò enim 1299 latè adeò furens Curiæ ortum incendium, quod non tantum pleraque Veteris Novæque Urbis depavit, sed præter S. Laurentii & Nicolai, hoc quoque Michaelis Templum, æstu suo absumpserit. Suprà jam p. 80 incendii hujus facta mentio, & p. 94. medela quoque addueta, quæ in cineribus decumbentibus his sacris ædibus subveniendum nostri credidere Majores, literæ scilicet Indulgenciales, à GREGORIO, Pragensi Episcopo impetratae, queis istæ adhuc jungendæ sunt, quas in eundem finem HUGO, Leodiensis Episcopus, de dato apud Tullium, (Lotharingia Civitatē) Non. Decemb. Indictione XIII. A. D. 1299 erogavit, omnibusque, qui apud destruktas ignis voragine Ecclesiam & Capellam, (quæ posteriori MICHAELIS intelligit,) convenerint, & ibidem verbum prædicationis audierint, eisque quæ propter defectus multiplices Christi fidelium indiquerint de. voto sub si dio relevari, manum porrexerint adjutricem, quadraginta dies Criminalium & Centum venialium de injunctâ sibi pœnitentiâ misericorditer in Domino relaxavit, ut ipsæ literæ apud IDEM ANNUM videndæ, prolixius id prohibent.



(13)

Harum ergo obstetricantium manuum ope, intra proximum triennium, paulatim è cineribus, nostrum revivixit Tem-  
plum, & cùm dictæ Indulgentiæ multum colligendis conferrent  
sumtibus, nostrates quoque liberaliori comparerent manu, de am-  
pliando etiam istius ambitu, cogitationes pariter & opera injectæ;  
potremque ejus parietes, magis Septentrionem & Ortum versus,  
ad finem usque Magistratus oppidani subselliorum & lineam ad  
Crucis imaginem transversam, promoti, ipsâ Capella duobus Cho-  
ris, alterô ab eodem latere, versus Dominorum Diaconorum ædes,  
quem Sacrarium, die Sacristen appellabant, ubi hodie Plurimum  
Rev. Ministerium Ordóque Senatorius Templū intrant, alterô co-  
in loco, quō hodie fœmellarum in medio Templi prostant sedes,  
ornatā, quam capacitatem pilæ portio, ad angulum exter-  
orem antiquæ Capellæ, in Vestibulo ædium tertii Diaconatus  
conspicua, probat.

Quibus, & qvot annis, omnia hæc fuerint extructa, distin-  
ctè annotatum non invenio, tantorumqve conatum moles, suc-  
cedentibus invicem benè multis annis, qvin fuerit effectui data,  
dubitare nos non finit; Turrium cum primis vasta satis capaci-  
tas, & insignis altitudo, qvæ quamquam tanta tunc temporis non  
fuerit, ad veterum enim saltim morem fuerunt fastigiatæ, complu-  
restamen extructione traxisse annos, mole sua produnt, ex qvâ  
etiam ad ingentes sumtus, facile collendum est; Cum primis cùm  
præter externa Templi hujus firmamenta, internis quoque Or-  
namentis, illorum ipsorum temporum transcursu, manus le-  
gantur admotæ; Sic supra opus istud concameratum, qvod  
Vestibulum Templi hodiernum munit, & cui ambones anteriores  
innituntur, aliud, majoris longè altitudinis, ex illa ipsâ anteriori  
Templi parte, ceptum est; sed ultra binas adversas pilas, ordine di-  
recto secundas, & Mariæ Johannisqve statuis notatas, non fuit  
productum; qvod enim sumtibus laborarent nostri, & nervo re-  
rum gerendarum, pecuniâ, destituerentur, parem sibi injectam  
fensere moram, quam amor Didonis ausibus, in quam Poëtæ  
istud æquè apposicè conjectissæ;

- pen-



- - - pendent opera interrupta, minaque  
Marorum ingentes, aquataque machina cælo;

**Cetera autem ligno texere, in commodius, pecuniaque refertius tempus, referre rati.** Singula hæc concatenatæ quasi per diversas temporum vices operâ, Anno 1387. scribuntur absoluta, ex qvo etiam ipsius Templi dedicatio, ad initium ferè sequentis Anni, nempe 1388, cum Conversionis Pauli die, seu 25. Januarii suscepta, & ex in mos repetendi annuatim hæc Encœnia, & primarius alter Urbi nostræ Mercatus, in eam defluxere.

Offendente autem fornicum hiatu spectantium oculos, præsidia nostri circumspexere Proceres, honorumque opem per universam implorarunt Germaniam, dimissō, qvi stipem in hanc rem emendicaret, eðque sequentibus commendatitio-petitorii munitione, dignis, ob notanda quædam, quæ his inserantur.

**Reverendissimis Patribus & Dominis, Abbatibus, Praepositis, Prioribus, Plebanis, Viceplebanis, nec non & omnibus Ecclesiarum Rectoribus & Capellaniis. Et specialiter, Baronibus, nobilibus, militibus, civibus, aliisque personis discretis, cujuscunque status seu conditionis extiterint, ad quos præsentes pervenerint; Conradus de VVeyzeldorf plebannus in Curia Regniz, & Heinricus de VViirspergk miles provincialis ibidem, (hoc est Capitaneus seu Praefectus, Haubtoder Ummtmann. Veteribus enim Miles de Nobilibus Romani Imperii Militibus, seu Nobilibus absolutè sic dictis dicebatur, qvia Nobilium proprium sit pro patria militare. Sic hac ex ratione Nobiles in Consuet. Feudalibus Milites dici asserunt LL. DD. Vid. Comment. in Tit. de Vasall. Milit. ) Magister Consulum, Consules & omnes jurati oppidi ejusdem, quicquid poterimus obsequijs, reverentia & honoris.**

**Cum Capella S. Michaëlis, oppidi Curiae Regniz predicti, intramuros, in Choro & in libris, calicibus & aliis Ornamentis magnum patiebatur defectum: nunc vero Chorus cum una Sarcista solenniter incepens ad decorandum, quod sine piorum Eleemosynis perfici non poterit, neque debet: Quare vestram duximus Dilectionem & Charitatem in Domino IESU exorandam, ut cum presens nuntius, Dominus Michaël Ratgeb/ lator presentium, ad vos in petendis Eleemosynis (venerit) apud vestros subditos in Ambone (sau suggesto, auf der Cannel) Ecclesiarum**



iarum vestrarum & aliis locis, purè propter Deum, & propter sex opera misericordiae ad cultum diuinum, qui solenniter in eadem Capella exercetur, & causa nostrí servitiz. Dignemini eum adjuvare, & cum effectu promovere, : Quod in simili & aliis vestris beneplaciti fideliter refundere cupimus requisiti. Et specialiter, omnes Christi fideles, qui Capelle predictæ, in honore S. Michaelis, S. Crucis & S. Mariæ Magdalena fabricatae, Eteemosynas largiti fuerint, seu manum porrexerint adjutricem, magnas indulgentias consequuntur, videlicet à quatuordecim Episcopis; & à quolibet eorum specialiter quadraginta dies criminalium, & annus venialium, & unacarena ( seu, ut alias scribunt, qvarena, corruptè pro quadragena, ein Karen oder Disciplin und Buß von 40. Tagen) in Domino relaxando. Praut in literis Ecclesie Parochialis ibidem Curia Regniz, & Capelle private, plenius & veraciter continetur, qua propter discrimina viarum & merum ad diversa loca securè non possunt nec debent deportari. In quorum premissorum omnium testimonium & fidem credulam exhibendam, presentes literas nostris sigillis duximus roborandas, tantum ad duos annos duraturas. Datum Anno millesimo, trecentesimo, nonagesimo primo, in vigilia corporis Christi.

Parum tamen has ipsas lucratas fuisse, eventus concludere nos jubet, qui istò & proximi Seculi primò tricenniò deprehenditur nullus, cum Michael noster antiquum obtineret, faciemque minimè mutaret. Quid & ut in deteriora quandoque res ruunt hominum, qibus lætior spes destinata, ne integri quidem sequiseculi defluxu, istà quantulacunqve hæc sacra Ædes gavisa integritate, qum novâ strage prosterretur, quam dirus Husserum furor, funesto denuò igne A. 1430. immisit, & cum aliis lignea laquearia sustulit. Muri tamen & lapidibus contra injuriam istam sequentibus, bienniò post, qvæ ignis devoraverat, restituta, & ut superius p. 100, circa Laurentinum Templum diduximus, novâ dedicatione, post Hærcicorum profanationem, reconciliata sunt, indultis simul novis literis indulgentialibus, alibi expressis. Rdm. Pabst: Thron/ p. 1027.

Quod autem neque sic Ædis forma se omnium probaret oculis & commoditatibus, hinc sequentibus annis omnibus sub  
inde

inde intenti fuerunt nostri occasionibus, quæ ad majora rei peccati  
 maniaæ subsidia conqvirenda, vel qvicqvam possent conferre. Et  
 cùm A.s 474. **FRIEDERICUS** III. Imperator, Augustæ Vindeli-  
 corum, solennia ageret Imperii Comitia, in causa l'philippi, Hærc-  
 dis Electoratus Palatini, contra Tutorem, Friedericum Victorii-  
 sum, vulgò den bōsen Friß dictum, cognitus, iisqve Nunci-  
 us simul interesset Apostolicus, dignitate Presbyter Cardinalis  
 ut & Patriarcha Aqvilegiensis, nomine **Marcus**, hunc quoqve pro-  
 movendi negotii causâ adicrunt, qui Cenam dierum Indulgencias li-  
 beraliter iis concessit, qui certis ab ipso nominatis Festivitatibus,  
 ipsam Ecclesiam S. Michaelis devotè annuatim visitaverint, & ad reparati-  
 onem seu conservationem edificiorum, calicum, librorum ac aliorum ornamen-  
 torum, pro divino cultu inibi necessariorum, manus porrexerint adjutrices.  
 Qvinqvenniò pòst aliis Cardinalis Legatusqve à latere Pontifi-  
 cis, **AUSTRAS** dictus, de dato Norimbergæ, 3. Non. Octubris, 1479, si-  
 mili munere chartacco succurrit, C itidem dies de injunctis pænitentiis,  
 pro præmissis ad fabricam remittens. Qvibus & aliis Indulgenti-  
 arum literis, qvarum potiora capita, Tabulæ tunc inscripta, Tem-  
 plorum valvis appensa, rudiq; popello in Festis & Encœniis præ-  
 lecta & commendata sunt, ut non tantum ad Tempa visitanda,  
 sed & freqventissimas eleemosynas dandas, illum stimularent,  
 tantum etiam nostri profecere Curiani, ut A. 1480. vires de novo  
 pericitarentur, an tandem ceptum Templi opus feliciter absolvii  
 posset. Dejectus primùm paries Orientem prospiciens, qui tunc,  
 ubi Pannicum subsellia nunc inchoant, desinebat, sicqve Tem-  
 plum dimidiâ ferè sui parte longius, qvā inimò eadē simul o-  
 pera latius quoqver redditum, & versus Orientem, rotunda ab ex-  
 tremo circumferentiâ, elegantissimè fuit deductum; Ab hoc  
 temporis puncto novem istæ Capellæ, qvibus anterior hæc Tem-  
 pli pars intrà pulcherrimè est ornata, novi itidem & interioris Sa-  
 celli, ut hodie perstat, vera initia unice sunt accessenda. Nam,  
 qvæ suprà jam de prima Capella & Sacello sunt monita, cum no-  
 stris

stris his non pugnant, dum ex oculari patet adspectu, primam  
 modernam, veteri illi choro seu Sacristiae antiquæ cepisse  
 quām proximè connecti, qvoad longitudinem ipsius Templi,  
 qvoad latitudinem verò, denuo ambitum anterioris Tem-  
 pli partis supergressam, & pedes versus Orlanum vicum, ali-  
 qvot per pedes promovisse, qvod ex adverso pariete, plagam  
 meridionalem respiciente, gemino plane suscepitum est mo-  
 do, ut nempe integrum opus, per binas suas partes, sibi ad archi-  
 tecturæ regulas, conforme redderetur; priori paululum contra-  
 etiori latitudine, 53 nempe pedum; posteriori paululum didi-  
 etiori & pedibus omnino 64 constante. Tantum autem abest,  
 ut his ipsis hactenus recensitis, ichnographicis quasi Templi D.  
**MICHAELIS** fundamentis, asseruisse simul videri velim, inte-  
 grum templum etiam, qvoad superiorem artificiosissimā Conca-  
 merationem, & fornices laterum nitidissimos, ultimam tunc ex-  
 pertum esse manum, qvod multas adhuc posteriorum imploran-  
 dum habuit temporum; Neutiquam, eò tantum hæc trahantur,  
 qvò scribentis destinavit calamus, qui denuo hic mouet, famili-  
 arem admodum hic nostris, ex pecunia defecta, morbiui, publi-  
 ca itidem, per sex sequentes annos, aquarum inundationis, famis  
 & pestis mala, acerrimas humani generis tonsuras, inchoatam te-  
 lam rursus abrupisse, ita, ut parietes vix ultra ambones, perforatō  
 opere exsplendentos, assurrexerint, notā hujus characteristicā,  
 qvò usqve scilicet perductus in altitudinem tunc murus, in parie-  
 te, paulò supra ambonem Dnn. Capitaneorum, adhuc extante; la-  
 quearia autem Chori, cæmentitio operi destinata quidem, asseri-  
 bus operire necessitas imperaverit. Cultui nihilominus publi-  
 co, publicè A. 1486, fuit sacrata, consuetis tunc Papatui solenni-  
 bus, ipso Laurentii die, qui urbi imposterum nostræ festus hinc, &  
 publico altero Mercatu conspicuus redditus. Ab hoc tempore  
 prærogativam nuncillam **MICHAELIS** deduxit Templum, qvod  
 sumanta Matri, D. LAURENTIO, ut filia subordinatur, in-  
 vera

versâ his auctum accessibus simul vice, Matris honore imposte-  
 rum coleretur, qvod nomen variis in Actis publicis tunc obtinere  
 incepit. In hoc statu ad A.C. 1512 immutatum perstitit **MICHA-**  
**ELIS** Templum, qvō cūm Dn. **Laurentius Morden sen**/ex Urbe no-  
 stra oriundus, tunc temporis autem **Civis & Mercator Lipsiensis**,  
 qvem divina benignitas non saltim suā, qvam profitebatur, mer-  
 canci industriā, sed etiam ex metallifodinarū redditibus, insignibus  
 auxerat divitiis, nullāqve re, nisi liberis, in opem reliqverat, ut me-  
 moriam suam liberalissimā in pauperes & res sacras donatione  
 conservaret, nostro qvoqve Templo, ejusqve struendi sumtibus,  
 qvingentos florenos benignissimē numerasset, novæ cogitatio-  
 nes structuræ reassumendæ sunt applicitæ, ipsumqve opus alacri-  
 ter rursus suscepit, tantaqve exteri liberalitas incolarum ita ex-  
 citārat animos, ut qvilibet, quantum modò posset, promtissimē  
 conferret, qvem in finem recipiendis eleemosynis & liberalibus  
 donis publica erēcta cala aut cistula, cui integro ædificationis  
 tempore, sua qvilibet largā injiciebat manu. Præcipuam autem  
 hic beneficentiæ meruere laudem, ingenuæ qvædam, illæqve satis  
 veteres Urbis nostræ familiæ, **Mordesiorum**, **Blümelerorum**, **Auerorum**,  
**Preussorum**, **Rothiorum** aliorumqve, qvorum ut parta liberalitate  
 perennaret memoria, **dei ymuia**, summitati concamerationis affi-  
 xa, vel sera cognoscet posteritas. **Caspari Gailsdorffii** itidem singu-  
 lariter celebratur munificentia, qvi, ut largā pecuniā, sic aliis qvo-  
 que suscitando Templo prospexit ornamenti, e.g. sancti Sepul-  
 chri artificiosa fabricâ, in quartam Capellam repositâ, majori iti-  
 dem in medio Templi Crucifixi statuâ, & Mariæ Johannisqve no-  
 tatis suprà imaginibus, imitatus in eo Parentis sui Alberti pictatem,  
 qvi cùm diducendi Templi hujus parietibus A. 1480. fundamen-  
 tum jaceretur, ducentenos lapidi injecit aureos, sumtuum commo-  
 do cessuros.

His igitur adjuti Curienses subsidiis, opus alacriter urserunt,  
 parietibusqve in debitam altitudinem productis, arcuato nitidis-  
Gme



simè opere, Chorus concludi cœptus est, eūi, ut moram injicere  
 laudabili conatu Sathanas, aut, quā est in bonas actiones turban-  
 das vafritie perpetuā, si fieri posset, planè sufflaminaret, ipsum  
 egregii hujus ausus architectum occulta cæde sustulit, cuius dolī  
 hanc à Majoribus traditam invenimus enarrationem. Erat hic  
**Architectus**, qui Templi structuram perficiendam susceperebat, Ha-  
 là Saxonum oriundus, nomen non invenio, jamque parietes planè  
 perfecerat, ipsius cameræ constructione coronidem operi imposi-  
 turus, quā in rem & lapides ad normam jam omnes conqvadra-  
 verat. Circa Jacobi Festum, Solis quodam die, prandiō sumtō,  
 pro more, in pagum proximum Unter-Rohau exspatiatur, operi  
 suo intentus, animō de periculō securus. Sed pessimus quidam ne-  
 quā, cuius pariter nomen acta non produnt, æquè forte ac Ho-  
 rostratus, Ephesini Templi incensor dignus, cuius nomen deleatur  
 è memoria hominum, qui minori parùm dolo, nostri Templi opus  
 delere ausus, ex occulto deambulanti insidiatur, cùmqve Dæmo-  
 nis montem à latere ille transmifisset, violenter in eum irruit,  
 gladiōque innocentem trajicit, pecuniā, quā secum fortè gesse-  
 rat, ablatā, & cadavere in proximum frumenti agrum projectō,  
 cùm ita prius adornāset, ut sui ipsius interfecti cultrum manus  
 teneret, quasi sibi ipsi mortem intulisset, ocyusqve fugā se prori-  
 pit. Cùm ita paulò post Architectus cæsus reperiretur, qvilibet  
 istas animo concepit cogitationes, αὐλόχεια ipsum desperatio-  
 ne perficiendi suscepti operis, factum, donec aliquot post annos  
 Sicarius alibi comprehensus, inter alia facinora, tormentorum vi  
 hoc quoqve fassus, optimumqve Virum illatæ sibi mortis suspici-  
 one liberavit. Interim orbata sic ædificandi Rectorē Ædes, im-  
 perfecta fuisset relicta, nisi minister ipsius Architecti, qvō cum  
 ille animi sensa communicaverat, telam, quā ille exorsus, per-  
 texendam suscepisset, omnemq; laqvearis structuram feliciter quo-  
 que perfecisset, producendo istam ad pilam usq;, cui suggestum  
 adhæreret, quod ipsum Suggestū codem Anno 1515. fabrefactum, &

Mar.



Martis die, post Joh. Baptista Festum, fuit absolutum, singulari que  
charactere signatum, lacerta nempe è plumbo infusa, quam Chara-  
cterem Templi, das Warzeichen appellant.

Quam mira arte Lacunar hoc templi sit confectum, lacusque  
mox quadratos, mox oblongos gypso habeat pictos, intermi-  
cantibus nitide arenosi lapidis arcubus, illi fatentur, qui ex dissitis  
etiam locis, Curiam lustrantes, Templum hoc laudibus efferre non  
satis possunt; ipsumque summæ contignationis artificiū architectus,  
ex Ecclesia Cathedrali Hallensi, per ALBERTUM Archiepiscopum  
Magdeburgensem Elect. itidem Moguntinum A. 1531 pasim diru-  
tā, detulisse & mutuasse dicitur. Sed quicquid hujus sit, quod  
nummi denuo negotium nobis facesserent, ad umbilicum perdu-  
ci non potuit, verum ad dictam saltim suggesti, adversamque ipsi  
pilas pertigit, mediò inter has & proximas duas, versus occasum  
spatio, vacuo non tantum relictō, sed & anterioribus fornicibus,  
neque in parem altitudinem, neque conformitatem, adaequit. Ligna  
igitur operuere lacunam, donec ad hanc tollendam difformitatem  
evitandumque lignorum, carie per 180. annos excessorum, stragis  
periculum, M. Andreas PANGRATIUS, Curianus Superintendent longe  
meritisimus, omnibus anniteretur viribus, quo Senatum indu-  
ceret, foramen veteresque trabes aut novis tegeret asseribus, aut  
pariete laterito obduceret. Re interim tractā, alibi quoque præsi-  
dia circumspexit, quæ Deus am̄ unχav̄s petenti submisit. Cum enim  
A. 1569 Serenissima Domina DOROTHEA, Burggravia Misnensis, nata  
Marchionissa Brandenburgica, Curiam, invisiendi Dn. Fratris, Serenissi-  
mi GEORGII FRIDERICI, utriusque Principatus Burggraviatus No-  
risci Principis, causā transiret, suamque ei deferret gratiam, utendum  
ille animis, dum promissis calebant, ratus, omnibus apud illam in-  
stitutis precibus, ut suā intercessione, lerbis Tempisque memor, sub-  
sidium aliquod hujus penitus perficiendi impetraret. Quod illa, ut  
promiserat, diligenter executa, pientissimum in sacra pervicit  
Principem, ut quingentos florenos, istos in usus, solvi exemplò  
mandaret, quibus à communi Civium coronā, mille quingenti &

ultra juncti sunt alii, geminā summam ipsō quoque Senatu & contribuente, & solō B. Georgio Prücknero, Consule, centū florenos numerante. Hinc quinto Junii die A. 1570 sepultæ hactenus resuscitatæ curæ, veteresque depressores fornices, cum super impositis lignorum contignationibus, dejecti, parietes anteriores cum ulterioribus in æqualem altitudinem adducti, novis transbris muniti, & Annō sequenti arcuum concameratione obiecti, penitusque clausi sunt, ipsō 23. 9bris die.

Qui successit 72 annus, in tectoriō vestiendis laqueari & parietibus, similiqve albedine obducendis ferè contritus est, ipsique ambones reparandi non parum absumserunt temporis, usque tandem opere absolutō, gratissima illa & niveō lapillo notanda dies XXVII. Julii appropinquaret, qvi in VIII tunc post Trinitatis Dominicam incidentis, novi Templi inaugurationē erat præstitutus. Omnes tunc uno ore pariter & corde diu desiderata hæc suscepere gaudia, nec Papistica Superstitione ridiculisqve moribus, verūm piis & Christianis prorsus ritibus, Dedicatio illa peracta, integrō sc. cœtu Incolarū, præsentibus Scholis, sertis floribusq; ornatis, sequentibus Ministriō, Proceribusq; Urbis, & Civibus quibuscumq; bonis, è Franciscanorum Æde, D. MICHAELI publica Processione petendo, psallendo, lantandoq; in Domino, ut quotannis adhuc dictâ Dominicâ fieri solemne est, quā tota hæc historia, piæ memoriaz ergo recolitur, hujusq; & ceterarum Ecclesiarum Antistitum pariter & Diaconorum Catalogi, seu, si malis è Veteris & Primitivæ Ecclesiæ more loqui, sacra Diptycha recensentur. Qvod ita fieret, laudabili admodum consuetudine, Pientissimus PANGRATIUS Superintendentens ejusq; Successores introduxerunt, brevemq; simul in Tabulas cōjecerunt hanc historiam, variantibus per annos vicibus, aut populo prælegendā, aut in concione commemorandā, ne tanti beneficii divinitus nobis Majoribusq; nostris concessi vilescat aut exolescat unq; memoria. Nec istæ tantum Tabulæ, per statutas ita vices prælegendæ, hanc asservarunt veterem conditi Templi Historiam, sed ipse etiam Pangratius suapte satis prælixè consignavit manu, D. Michaëlis sacrarii tutelæ committens, hæcque sequentia subnectens:

ZdM. Andreas Pangratius von Wonsiedel/ dīgma ls Prediger zum Hof/ habe die vorgehende narration, aus alten warhaftigen monumentis zusammen gespannet/ und mit dieser meiner Handschrift bisher verzeichnet Anno 1572. am eilfsten Tage Septembris, do denn fast dergleichen Lateinische Schrift in dem hohen Altar ist vermauert worden/ unsern Nachkommenen zum guten Exempl

pel/dass sie den Gottesdienst gleicher weig lieb haben/ohren und fördern sollen:  
Darzu helfe ihnen GOTT/durch CHRISTUS/Imen.

Latina ista descriptio, quam Altari inclusam B. monet Pangratius,  
suaq[ue] ipsius scripta & subscripta manu est, his reddita fuit verbis:

Ampliæ hæc & ornatè extructa Domini domus, fuit olim admodum exiguum sacellum, divo Michaëli Sacrum. Cum verò crescentibus annis, numerus etiam Civium cresceret, & locum capaciorem reqvireret, cepta est strutura ejus, quam nunc vides, magnitudinis, circiter A. Domini, ut opinamur 1432. Fornices verò parare & superstruere cœperunt A. Christi 1512. præbente maxima ex parte sumptus, præclarâ Familia Mordysiana, & in triennio anterior pars versus ortum ad suggestum usq[ue] perducta est. Postea deficiente pecuniâ, & aliis etiam temporis ejus difficultatibus accedentibus, cœptum opus, per annos quinquaginta quinque; imperfatum mansit. Et per integrum hoc tempus, sacra administrare necesse fuit, intra parietes domus, ex veteri novâque structurâ ita compactas, ut intra utriusq[ue] fornices, ingens & deformis hiatus, propter inæqualem eorum altitudinem, relinqveretur, non sine docentium & auditorum molestia; Tandem verò cum Illusterrimus Princeps & Dominus Du. Georgius Friedericus Marchio Brandenburgensis quingentes florenos clementer daret, & reliquum, ultra tria millia Joachimicorum, prudens hujus loci Senatus & Cives pii benignè adderent, Anno Christi 1570 rursus cœptum est hoc ædificium, & in biennio posterior ejus pars, occasum versus, à suggestu ad portam fori usq[ue], absoluta est. Patronum præter unicum & verum Michaëlem, Dominum nostrum Jesum Christum, non agnoscimus. Reliquæ vero Sanctorum, qvibus Domus hæc Christo consecrata est, sunt & fuerunt nobis, ardens Dei invocatio, sincera & incorrupta Evangelii doctrina, & legitimus Sacramentorum usus, pro qvibus gratias agimus Deo, cum q[ue] ardentibus votis & toto pectori precamur, ut pretiosum hunc Thesaurum etiam posteris nostris conservet, & sibi in his terris sanctam Ecclesiæ, celebrantem & rectè invocantem nomen ejus, ad finem mundi usq[ue] colligat, & tueatur per Jesum Christum Dominum nostrum Amen, Amen.

M. Andreas Pangratius, Ecclesiae hujus Curiensis Pastor manu propria scripsit, Anno Christi 1572 Mense Julio.

Hactenus B. PANGRATII historia, per Compendium ab eo ipso datis, & Majori Altari inclusa, qvod illud ipsum Scriptum ege duxerim, cujus lacunæ, aliquot ab hinc annis, cum novum Altare erigeretur, mensæ istius ob-

ge&re, inventæ sunt; Ita tamen corruptæ, ut legi hanc posuerint. Quanquam  
autem in aliquibus à WIDEMANNO aut ab ludat, aut eo concisior factus  
sit, hic ipse tamen, in inserta *Chronica suis planissima relatione*, jam monu-  
te: Plura se ipsò *Pangratiō*, è veteribus monumentis, & cum primis Literis  
Indulgentialibus, mense Julij, A. 1585, in Sacristia repertis, aliis itidem pa-  
triz actis, deprehendisse.

De Turrebus Templi quædam suprà jam meminimus, quamibus nunc ad-  
dendum, quod in eam, quam hodie exhibent figuram atque altitudinem,  
A. g. 1. & g. 2. hujus Seculi ex creverint, ubi pristinis ad vetustum morem fa-  
brefactis tectis dejectis, campanarumque cameris altius eductis, novis, iis-  
que ut vocant Italicis, cooperiri ceptæ sunt. Altitudo, mensulæ & qua-  
drantis ope, Discipulorum meorum soleritur deprehensa est, ad campanas  
72, ad summam coronidem 132. pedum

Ab hoc tempore usque ad Annum Seculi hujus 99, in externa Templi stru-  
ctura, nihil immutatum aut correctum invenio, hoc autem currente, &  
quidem mense Maji, fornices veteris Sacristie, per quam nunc aditus in  
Magistratus Oppidani sub sellia datur, cùm anteà numerandis Eleemosynis  
diebus Sabbathi & Festis collectis, patuerit, fuerunt dejecti, cochlidiumque  
ibi eretum, per quod ad Exarchi ambonem cò commodius ascenderent  
Serenissimi Principes nostri, si quando Curiam venirent, quod antea inno-  
xiu[m] adeò, per scalam exterius apposita & superiorem adyti Came-  
ram non fuit, perficiente hoc opus Augusto.

Inchoante Seculo nunc currente, mensibus Julio & Augusto, illa quoque  
**Cochlea** externæ Templi accessit Peripheria, quam in noviter tunc extru-  
ctum ambonem, die Studenten-Pohr vulgo audit, nos deducit, cui sumus  
ingenui quidam cives subministrarunt.

Sic integrum fore exterius depinximus templum, nec forte præter te-  
cum restare multa videntur, cuius historiam quamquam à Majoribus ta-  
gam haut invenerim, quod tamen cum A. 1515. fuerit perfectum, ex eo col-  
ligo, quod WIDEMANNUS ad d. A. referat: Singulari Numinis clementiâ, opi-  
scam ex illorum numero, qui tecta lapide Armenio cō tegere didicerunt,  
cum coronidem tecto super addere vellet, minusque cautè agens delabere-  
tur, in aream Diaconatui tertio contiguam, præter omnium opinionem,  
salvum & illæsum abiisse, his insuper ad circūstantes ludentem facetiis: Sie  
sollten se in halben nicht erschrecken/ und unbekümmert seyn ; Es reue ihn nicht/  
deß der fromme Christen-Mensch/ so des Orts begraben liege/ auf dem er gefallen.

Pleior tamca ejus reparati, ut hodie comparet, sit historia, cùm A. 25.

Hu-

hujus Seculi, 6. Novembris die, Urbs nostra denud gravissimum passa in  
cendium, Templum quoque una cum splendida Curia, & domibus, ut aliqui  
numerant, 162, vidisset absuntum. Hic enim combustum Tectum festinantes  
reparari & primum scandulis modo, postmodum autem Armenio lapide  
obegi incepit A. 1654. 30 Junii, & tres in illo perficiendo consumti  
sunt Anni, ut totum opus, mense Septembri 1656, demum ad finem perdu-  
ceretur. Sumtus et conculerunt tum Serenissimi Patrie Patris CHRISTI-  
ANI Clementia, cum Procerum, Senatus & Civium hujus Urbis pariter ac ad  
Parochiam hanc pertinentium stimulata piis concionibus pia liberalitas,  
qui omnes, si opus, in specie cum liberalibus illorum donis, adduci possent;  
Sed sufficiat summam attulisse, quae in libellis Rationum 1203. floreros  
48<sup>4</sup> Crucig. conficit. Totius Templi quoad domum, altitudo, meorum ex-  
plorationi 84, mutus, cui Tectum innititur 48, & totius Operis longitudo  
84 pedibus constare deprehensa.

Tantum de externa D. MICHAELIS Structura. Struxerunt alii nobis, nos posteritatis.  
egregius habet Versiculus Gymnasi nostri Limini adscriptus, qui, ex omni-  
bus pulcherrimis ejus Inscriptiōibus & Antepagmentis, unus ferè tempestas-  
tis effugit injuriam, legique adhuc potest, edocens simul nos, ut memoriam  
illorum nunquam non gratissimi recolamus, qui publica tum Dei, cum  
Musarum templo, posteritatis commodō, extruxere, & in sera posteritatis, si  
qua futura est, commoda & gaudia, parile quid moliri pulcherrimā ani-  
morum contentionē meminerimus. Qvod si igitur haec pietas esto nostra  
in extēnorū Temporum Condītores, quanto quāso major sit illa, quā  
ipsissima Spiritus Sancti Templo, Fideles Dei, in extēnis illis ædificare, in-  
defessā nunquam cessant opera? quanto non ardore posteritati illorum  
commendanda memoria, ejusque animi ad gemina olim audenda sunt ac-  
cedendi. Et cum inter nostrates eqvidem felices istiusmodi Temporum  
Dei Auctores Restitutoresque gloriosos, B. Megalandro Lutherō, felicior  
majorque aliis censendus nullus, hinc nuperō ejus Natali Nominalique me-  
moriae Templum meritis statuere ejus cessassemus nulli, nī publica tunc  
Templo aliorsum, & ad sacra eō ipso die vocassent animos, nostrorumque  
quā nimis mei ipsius corporis Templum, nescio quā terrā & epidemiacā nobis,  
ianoxia tamen adhuc per Dei gratiam, infirmitate adeo segniter stetissemus;  
Nobis autem nos redditū nostrum B. Luthero, vel tardi malumus ex-  
solvere, quā videri ejus planē dememinisse.

Conscienter igitur ad proximum Mercurii diem, 6. Gymnasi nostri Ci-  
vies ingenni excitati que ingenii, & ad virtutem palmeque hinc honores suāplo



ponit, eis nostris monitis, ex voto cursuri, q̄i mutuā quasi Consultatione Heroldia Lutheri percensebunt facta, judicio tamen penes Auditorium relicto. Nullō autem Classis, sed iubentiae ordine, dicet primus

Friedericus HEIFFELIUS, Plaviensis, Prologus, Consultationis Consilia conclusaque expositus, legitimam illam probaturus, & Nob. Auditorii favorem, sub delato ipsi Judicij illectamento, procuratus. Secundus

Jo. Georg. MORGENVVEG, Curiensis, pro Lutheri Juvenili Cursu Studiorum, indeque honorum glorioſis contendet Actionibus. Tertius

Jo. Georg. BREBISIUS, pariter Nostrās, primam Thaumaturgi afferet Disputationem, quā fundamenta totius Reformationis jecit. Quartus

Jo. Georg. HENDELIUS Curianus, animosum extolleat Spiritum, Cesaris totiusque Imperii conspectum VVernacis sustinentem, fideique professionem intrepide edentem. Quintus

Jo. Christoph. HASS, itidem Curiensis, Biblia Lutheri producit versa, immensam operae hujus depraedicabis Utilitatem. Sextus

Jo. Nicolaus OBERLAENDER, Naylensis, Epilogus, Lutheri quoque siste Epilogum, beatam nempe avaritutiv, cumque & vita & mortis Mimur benē egerit, pro hac posteriori sanguinam Ejus actione glorioſissimā concludet.

Qvos sex juvenes novellos qvidem & initiandos, è promata camer memoria, & brevissimis qvidem dicturos, Oratores, ut Mecenatum gratia ad majorē laudis formet cumulum, Serenissimum Principem ac Dominum, DN. GEORGIUM ALBERTUM, Marchionem Brandenb. &c. &c. Dominum nostrum Clementissimum; Serenissimi quoque PATRIÆ PATRIS nostri Consiliorum Presidentem Supremum, Consiliarium Intimum & Exarchum Provincialem Curiensem undiquaque Splendidissimum, DN. JO. ALBERTUM, Comitem de Ronov & Biberstein &c. Dominum nostrum multum Gratiotissimum; nec non Illustriss. Dominum Dn. JO. ERNESTUM, Comitem de & in Tettenpach &c. Dn. nostrum itidem Gratiotissimum; Pra-Nobiliss. Dn. Superintendentem & Gymnasii Inspectorem, DN. JOSEPHUM FRIDERICUM à VValdeck &c. cum Rever. Pl. Ministerio; Nobilissimos Medicina Licentiatum, Physic. & Medicos; Consultissimos Dnn. Officiales; Prudentiss. Speciosissimumque Senatum, Gymnasii Patronum & Scholarcas; Clariss. Dnn. Collegas, Preeximios Dnn. Studiosos, & quosvis Studiorum Fautores, eā, qvā pars est, devotissimā submissione, precibusq̄ue exoramus, ut gratiotissimam ac benignam iis commoden presentiam, qvod, ut nostris demereamur obsequiis & votis, datæ fidei hæc nos moneat tabula. P.P. Dom. XXIII Trin. A.O. Relo los LXXXIX.



**Kodak**

LICENSED PRODUCT  
Black

**KODAK Color Control Patches**

© The Tiffen Company, 2000

3/Color

White

Magenta


Red

Yellow

Green

Cyan

Blue



TE

NOVA

cjusqve con-

AC

R

M.

RUM

PRIMARIUM,

eli

ajorem Amplitudi-

ASTICO,

tituto,

ratiunculis

ix.

LAYRIZ,